# INDEX LECTIONUM


IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXII.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXIII.

INSTITUENDARUM.





CRACOVIAE.
TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Literarum Studiosis

# S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis

PRO

# RECTORE

# SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. D. FAC. MED. DECANUS.

Cum Senatu Academico.

Jnter quatuor ejus nominis oppida, quæ Carrhodunum vocata fuerunt, unum Longitudinis 42° 30' Latitudinis 51° 30' Ptolemæus antiquus circa 160 a. post Christum natum Geographus memoriæ prodidit, quod vulgo Cracovia nostra fuisse creditur, vid. Bertii Editio in Theatro Geographiæ Veteris a 1618 I. p. 160. Editio Ulmensis I. 1482. II. 1486. et multæ aliæ sequiores idem perhibuerunt. Sufficit autem pro omnibus unius celeberrimi viri Mannerti auctoritatem interponere T. III. Geographiæ antiquæ Germanice scriptæ Lips. 1820. p 467. ,, Karrhodunum, si aliorum oppidorum distantiam ,, consideraverimus, in itinerario versus Calisiam et Budorigum, quæ, Rati- ,, boria est, alia civitas esse non potest, quam nostri ævi urbs Cracovia. Sita ,, est autem ad Vistulam, cujus fontes Ptolemaeus ultra ejus agrum ad septen- ,, trionem versus Orientem non suo loco posuit, quod quidem utique vero ,, hujus urbis situi repugnat. Sed quum idem Auctor Montem Asciburgium e ,, cujus extremis radicibus hunc amnem defluere putabat, nimis ad Septen- ,, trionem et orientem promovisset, etiam caput hujus fluminis, ut non suo ,, loco collocaverit, necesse fuit. Hæc sunt Mannerti verba. Itaque Ptolemæus in Geographiæ Libris VIII quum veros Vistulæ fontes in Monte Barania Gora in Principatu Tessinensi e tribus rivulis, Biała, Czarna et Malinka Wisła, ignoraret, Carrhodunum hoc et Casurgim et Budorgim et alia oppida plura 50° et 51° Lat. quæ in sinistra Vistulæ ripa sita sunt, in dextra posuit. Sed vera Cracoviæ nostræ Latitudo teste Lenscio Astronomo, Miscell. Crac. II. 24. est 50° 3' 52'' qui numerus sane dato Ptolemaeano non congruit, ita ut, si solam poli altitudinem spectemus, illud antiquum Carrhodunum a nostra

stra

stra Cracovia ultra 20 vel 22 milliaria ad Septentrionem abesset. Sed utrum revera Carrhodunum illud Cracovia nostra fuerit, nec ne, non admodum pro illa sententia pugnabimus. Etsi enim non raro acciderit, ut in derelictis antiquorum populorum sedibus novi populi nova conderent oppida, tamen id non semper factum fuisse certum est et non raro antiquissimarum urbium vestigia longo a recentiorum civitatum positione intervallo distant. Cæterum Gallicum sive potius Celticum est nomen Carrhodunum, quod collem curruum significare dicitur. Utrum vero Celtæ an Teutonici homines an Slavi quicunque Vistulæ accolæ Ptolemæi temporibus illud Carrhodunum incoluerint, quis nostro ævo eruere poterit, quum nulla fere quod ad linguam incolarum illius temporis antiquitas tradiderit illorum populorum monumenta. Attamen in memoriam revocare liceat omnia fere sive Gallica sive Celtica sive Teutonica sive Sarmatica nomina, quæ apud Ptolemæum memorentur, paucioribus exceptis, non a Germanice, sed a Slavice loquentibus hucusque esse conservata. v. g. Corconti, Krkonosze, Bohemice, Luti, Buri. *Luty* crudelis Slavonice, Ecclesiastca dialecto, *Bury*, fuscus, virgatus, Polonice. His addere lubet Vistulam, Wislam, apud Iornandem Wisclam, quod vocabulum certe propius ad antiquum Ptolemæi nomen accedere videtur, quam Germanicum die Weichsel. Itaque Calisia, Krapak, Krempak pars Carpathici montis. Multa loco Buda, Budyn, Budzyń per Pannoniam et Bohemium, Budy, Budki per Poloniam. Sed his etiam non omnia tribuere volumus, nam varii fortunæ casus multa tulisse videntur, quæ explicari nunc non possint. Non raro fieri potuit, ut sub antiquo nomine novus populus latuerit, et antiquus sub novo nomine sederit pristino loco v. g. Hermunduri, Thuringi, Bohemi, Czechi, Cambri, Cantuarii etc. Sic Carrhoduni, Budorgi et nescio, quibus Celtici nominis locis tum Germani tum Slavi suo tempore habitare potuerunt. Sit itaque liberum cuilibet in antiqua Carrhoduni sede vel Gallos, vel Germanos vel Slavos quoscunque pónere pro lubitu. At antiquam nostram Cracoviam ad radices montis Waveli a Slavis conditam, ut fert traditio, non seculo demum octavo a Craco I (a. 700 sive 750) quicunque is fuerit ad Vistulæ jam a confinibus Silesiæ navigabilis ripam positam fuisse, sed forsitan aliquot seculis antiquiorem a primis Chrobatiæ Polonicæ incrementis ortam esse, ut quidam volunt, multis credibile est. Nam Bohemos Czechos olim albos Chrobatos fuisse Nestor memóriæ prodidit, quod Dobnerus ad Hagecium luculentius demonstravit Dobner II. p 11. 16. Nestor Schloezeri II. 66. et in ficto apud Cosmam Pragensem privilegió Episcopatus Pragensis 1086. ed Dobrovscii T. I. p. 171 occurrit duplex Chrovati, h. e. Chrovat' sive Chrobatia, quarum altera disertis verbis circa Cracoviam fuisse dicitur. Atque quamvis eam Dobnerus P. 1. ad Hagecium in Prooemio p. 163 ad rempublicam Bohemorum pertraxerit, tamen quum Nestor ad Vistulam solos Polonos Lechitas posuerit, Polonicam Chrobatiam, qui eam fuisse censent, rectius non nullis judicare videntur. Exstat etiam apud Nestorem et tertia Chrobatia p. 121 ad Asiae confinia. Item et Czerwenicae urbes Chrobatia rubra dictæ sunt, et quæ nunc est Chrobatia. s. Croatia a Septentrionalibus populis originem trahit Slavici nominis regnum. Quam ob rem non miramur esse aliquos, qui Cracum illum a. 750 cujus tumulus trans Vistulam in monte Lasota e regione urbis erectus

ctus est, non primum conditorem, sed instauratorem urbis fuisse asserant, sive nova civitas in antiqui Carrhoduni locum statim succeserit, sive interjecto aliquo tempore post primum Slavorum adventum eodem, vel alio eoque novo loco exstructa fuerit, quod quidem jam seculo III$^{tio}$ vel IV$^{to}$ aut tandem V$^{to}$ post Christum natum accidere potuit, siquidem Sarmatæ Slavi semper viciniæ fuerint. Sed de his ut incertis multa disserere nolumus, sed quod jam ex rerum gestarum memoria certo certius est, id tacere non possumus: Cracoviam antiquissimam in his regionibus urbem, quocunque illa seculo condita fuerit, tandem successu temporum auctam accessione suburbiorum ad tantum ambitum excrevisse, ut seculo XV. et XVI. ad octoginta millia incolarum complecteretur. Quam ob rem mirum in modum Auctor cæteroquin eruditissimus incuria rerum Slavicarum erravit, qui scripsit (Kruse Archiv für alte Geographie III. p. 99) Cracoviam paullatim e quatuor minoribus oppidis coaluisse civitatem, scilicet: Cracovia, Clepardia, Stradomia et Casimiria. Nam Clepardia olim suburbium a Casimiro Magno a. 1346 jus civitatis obtinuit vid. Dlugossi Hist. Libr. I. p. 39. quæ quidem a tignis ad dolia sali condendo aptatis *Klepki* vulgo *Kleparz* appellata fuisse fertur, quia ibi magna salis nativi usque ad novissima seculi præteriti XVIII tempora ad a. 1768 fuerunt horrea. Stradomia nunquam fuit civitas, sed antiquissimum est adhucdum suburbium, cujus nomen a Slavorum Aeolo *Stry* sive *Str* Ventorum Deo derivatur. Sunt autem in Silesia quatuor pagi Stradom s. Domus Dei *Stry*, nam genitivus casus Polonice *Stra* sonat, vid. Martini Jndex pagorum Silesiæ p. 164. Est etiam in Myslenicensi tractu trans Vistulam ejus nominis pagus et oppidulum in tractu Czenstochoviensi cis Vistulam, et plura facile alia invenientur hujus nominis exempla. Casimiria autem a Casimiro Magno a. 1335. d. 3. Kal. Martii Sandomiriæ demum in civitatem erecta fuit, de qua Nakielski in Miechovia sacra Classe I. p. 258. 259 consulendus est." Jn cujus urbis colonia deducenda, inquit, præcipua usus est opera homi-
„ num generis Teutonici, quos ex Hassia acciverat, unde etiam alteram uxo-
„ rem, mortua priore duxerat, Adelaidem sive Hedvigim nomine Henrici
„ Hessorum (sic) Landgravii filiam — Cum qua plurimi ex Germania huc ad
„ nos commigrasse feruntur, ex quibus prima ac præcipua familia DD. Fo-
„ xorum, ut publica monumenta illius urbis actaque vetusta profitentur, cen-
„ setur fuisse." Pagos antiquissimæ hominum memoriæ Bawoł, ubi nunc Casimiria est, Stradomiam, priscae gentilitatis sacris idololatricis celebratam, et Clepardiam tandem antiquiori Cracoviæ civitati adjuncta fuisse oppida nemo negabit, quæ jam ab a. 1792. uni magistratui parere coepit, nunc autem ab amplissimo XII. Virorum Senatu et Præside Jllustrissimo Comite Stanislao Wodzicki literarum et virorum doctorum Fautore et Mæcenate Humanissimo regitur, ab a. 1816. Cujus Viri excellentissimi auspiciis in agris 80000. in urbe 24000. capitum in terra liberæ civitati subjecta eaque per 20½ milliaria, quæ dicuntur quadrata, extensa beneficio Augustissimorum Jmperatorum et Regum Civitatis Cracoviensis et Universitatis Jagellonicae Protectorum Francisci I. Alexandri I. et Friderici Wilhelmi III., quos ut Deus Optimus Maximus Patres Patriæ longissimum in aevum fortunet et sospitet, precamur, feliciter credita sunt. Carrhodunum autem nostrum Vir doctissimus Krusius apud Hallenses ad Salam Professor celeberrimus Zarnoveciam transtulit

8 abhinc milliaribus in via Varsaviam ferente oppidum sat exiguum ad Piliciam amnem, idque eo consilio fecit, ut a Sandecia Veteri ad Danubiolum (Dunajetz) sita, quam Asancam Ptolemæi scite, sed nescio an recte judicat, octodecim milliaria computaret, et inde per Leucaristum, quod oppidulum Wołczyn Polonice, Constadt Germanice vocatur, itinerarium suum deduceret Budorgim, quam Laskowice Pagum 3 milliaribus a Wratislavia distantem esse nunc censet. Sed recta nunquam Cracovia per Zarnowecim in Silensiam fuit via, quia hoc oppidum nimis ad orientem divergit, et fere omnia alia propiora sunt itinera tendentibus in Silesiam, eaque longe faciliora, minus montosa, planiora nec sufficiunt 18 vel 19 milliaria Zarnovecia Wolczynum, sed certo aliquot milliaria amplius emetienda erunt. Zarnoveciam idem Auctor, ubi repudiata a Cassimiro Magno aut potius neglecta Adelaidis regina 14. annis vixit infelix conjux, tandem in Czarnodunum mutavit, quod quidem vocabulum monstrum Celticæ et Slavicæ linguæ esse quilibet fateatur, necesse est, qui non ignoret litteras radicales Slavonicas Z. Ż. CZ. C. scilicet Zemla Żywete, Czerw et Cy, nec esse easdem, nec homonymas, ita ut *żarna*, mola manualis plural. tant. a voce *czarny* nunquam possit derivari. Sed hæc forsitan sunt levia et minoris momenti. Nescio an non graviora sint illa p. 88. recertionibus nominibus pagorum in Baronatu Pszczynensi s. Plessensi Orłow, Orzechow, Oremba, Hermanowice probari: sylvam Orcyniam ibi fuisse. Recentiores illæ pagorum appellationes in planis a montibus jam longe dissitis campis certo nihil ad Carpathos in Tesinensi Ducatu denominandos facere potuerunt et nullus inter eos et Orcyniam Sylvam fuit unquam nexus. Terminationem *wice* per se quoque nihil unquam valuisse, credibile est, sed si quis eam a *Wieco*, circulus, consessus judicum unde *wiecznica* Prætorium, curia, vox jampridem antiquata, in Vita Jesu Christi auctore S. Bonaventura, interprete Balthasare Opecio a. 1522. obvia, si quis, inquam, a *wieco* derivare voluerit terminationem *wice* innumeris oppidis et pagis inditam, sane is errasse non videbitur. Et *wieco* cum antiquo Gothico *Wich* cognatum esse facile concedimus. Cæterum et Budorgim magnam civitatem fuisse nemo antiquorum Scriptorum memoriæ prodidit et ex recentioribus ii id fecerunt, qui Wratislaviam Budorgim fuisse crediderint. 51° 6' 50'' Lat. 34° 45' Long. vid. Klosii Epistolæ de Wratislavia Germanice scriptæ T. 1. p. 95. At Budorgis apud Ptolemæum 40° Long. 50° 30' Lat. et Budorigum 41° Long. 52° 40' Lat. — Utramque civitatem Mannertus quidem unam fuisse et circa Ratiboriam jacuisse affirmavit, quod nos quanquam difficile et grave nobis sit a Mannerto et Krusio dissentire, tamen sat idoneis causis negari posse existimamus et duas civitates easque remoto satis locorum spatio distentas fuisse credimus. Sed de his alio loco et tempore disputabimus. Budorigum esse oppidum Szrem, quod primum urnarum multitudine jam a. 1415 innotuit, Dlug. Hist. XI. 371. Budorgim esse forsitan Nimcium in Vita S. Ottonis. 1124. Nemetiam aut aliud quodvis oppidum versus Meridiem a Wratislavia distantiæ ejusdem evincere conabimur, si quid in re tam antiqua evinci potuerit, nam et Slavis et Germanis combustio cadaverum et o sile jium et urnarum sepulcralium usus et sexcenta alia erant communia, quæ e communi forsitan cæremoniarum fonte, a primis gentilitatis incunabulis, ex Asia secum tulisse videntur. Etiam in terris per Slavos nunc vel olim

ha-

habitatis major invehiri solet urnarum multitudo, quam in aliis regionibus, quæ vel paucos vel nullos Slavos incolas habuerint.

Descriptio duorum Codicum Bibliothecæ Univeritatis litterariæ Cracoviensis.

I. Codex membranaceus in 8$^{vo}$ majori, foliis 150. Fol. 1. recto nitide picto in limbo: *Sanctitissimo Patri Alexandro Quinto Pontifici Maximo Jacobus Angelus Florentinus. Jn libros Cosmographie Ptholemei Prohemium.* Ja fine: folio ultimo: *Claudii Ptolemæi Viri Alexandrini Cosmographyę octavus et ultimus liber finit. Quem demum e Græco Latinum fecit Jacobus Angelus Florentinus civis. Ad Laudem Omnipotentis Amen. Explevi* 1472. 19. *Septembris.* folio autem vacuo ante textum 1.$^{mo}$: *Joannes Broscius emit Patavii* 4. *libris die* XVI *Decembris anni* 1623. 4. *Libræ valent* $\frac{1}{3}$ *aurei Ungarici. Aestimabatur eo tempore aureus Ungaricus libris duodecim.* Scriptio hujus codicis nitida, cursiva, Jtalica, mendis tamen non carens v. g. Libro III. *Germaniae* situs. Sub his *Semana est silva et Asbigurgius mons, cui* 30. 54: *et* 44. 52$\frac{1}{2}$ *Gabrica et Gabrita* silva. Pro Budorigo est: *Ludorigum* 41. 52$\frac{2}{3}$ *Carodunum* 42$\frac{2}{3}$ 51$\frac{1}{2}$ *Assanca* 43. 93. *Sarmathię Europe finis*: *Sarmathia Europe terminatur a Septemtrione oceano Sarmathico juxta Vennedicum et parte terrę incognitę secundum hanc descriptionem. Post Jnstulę fluvii ostia Cronis flu. ostia* 50. 50. *Super autem Tyram flu. penes Daciam Carodunum* 49$\frac{1}{2}$ 48$\frac{2}{3}$

II. Atlas Ptolemaei fol. maj. in charta papyracea lintea, in qua insigne, quod vulgo reperitur in libris typo Nicolai Jenson Galli apud Venetos expressis, a 1471 vid. Jansen Essay sur l'*origine de Gravure Paris* 1808. p. 342. Planche T. I. 13. N$^{ro}$ 69. Hoc insigne est autem pileus cardinalitius. Atlas noster jam passim mutilatus has continet tabulas sine textu ullo. 1. Orbis Terrarum 2. Brittania 3. Hispania 4. Gallia 5. Germania Magna 6. Rhetia, Noricum, Vindelicia, Panoniæ et Jllirycum. 7. Jtalia 8. Sicilia 9. Sardinia 10. Sarmatia Europæa et Asiaticæ pars. 11. Græcia 12. Mauritania 13 Numidia 14. Cyrenaica, Lybia et Aegyptus 15. Lybia inferior 16. Asia minor 17 Sarmatia Asiatica, 18. Regiones inter Pontum Euxinum et Mare Caspium 19. Syria, Mesopotamia, Babylonia 20 Armenia, Media, Parthia 21. Arabia 22. Scythia 23. Serica 24. Aria etc. 25 Jndia citra Gangem 26. Jndia ultra Gangem 27. Taprobane. Vacua papyri totidem fere folia forsitan delineationi recentioris Geographiæ tabulis destinata erant, ut in Nicolai Donis editionibus 1482. 1486. Ulmæ Hispaniam et Galliam recentiores habemus post antiquas harum terrarum tabulas. Quæ enim Ptolemæi geographiæ factæ fuerunt tabulæ, eædem etiam novis recentioris Geographiæ non raro adaptatæ sunt mappis, ut quæ vitia in illis inveneris, in his quoque reperias v. g. ut Suevus amnis apud Ptolemæum in mare influit, ita Spreva quoque in salum defertur apud Sebastianum Münsterum in Cosmographia ejus a 1567. Tabulæ autem nostræ in picturis et delineationibus similiores sunt Nicolai Donis tabulis, quam Romanæ editionis 1478 aut Bononiensis 1491. (1462.) Sed majores sunt utrisque. Differunt etiam in multis v. g. in Germania Magna: *Vistulæ* fons infra *Budorigum* 40° Long. 53° Latit. cum magno circuitu ad *Asciburgium Montem*, in quo *Luti*, *Buri*, *Lutidunum* (sic) *Budorigum* in dextra, *Leucaristus* in sinistra, et *Calisia* iterum in dextra Vistulæ ripa, *Setidaba* in sinistra. Ad 53.° 15' devolvitur in Vistulam aliud flumen, quod Nicolaus Donis caput Vistulæ esse credidit, idemque *Visbur-*

*bur-*

*burgios*, *Asancam* in sinistra ripa Vistulae posuit. Ad Albis fontes *Casurgis* et non procul inde *Redintumium* (sic) *Budurgis* 40° Long. 50° 30' Lat. *Nomisterium*, *Hegetmatia* 51. Lat. 39° 30' et 40° Long. Jnter *Budurgim et Orcyni um nemus Visburgii* et non procul inde *Assanca* 50° 30 Lat. 42° 45' Long Quodlibet oppidum quadrato s. potius parallelogrammati inclusum, in quo nota puncti designat verum civitatis situm. At in Gallia et Hispania aliæ notæ appositae sunt eæque arbitrariæ vel aliquot punctorum vel aliorum signorum v. g. lunæ, glandis, etc. quibus indicatur, ad quam qua civitas gentem pertinuerit. Sed hæ notæ desunt in Germania Magna. V. c. ad Educs (Aeduos) lunæ nota signatos Augustodunum, Lugdunum, Cabalinum eodem signo itidem notatæ urbes pertinent in Gallia — Cæterum magna cura et diligentia iidem gradus Longitudinis et Latitudinis servati sunt, ut in textu Ptolemæano indicantur. Alia, quæ reperiuntur, oppida Carrhodunum dicta apud Ptolemæum, sunt: 

1. Carrhodunum 33° Long. 50° 46. Lat, in Vindelicia, quod Bertius p. 62. (56) Krainburg in Bavaria nominavit (Kruse Archiv III. 99.)
2. Carrhodunum 39° Long. 46° Lat. in Pannonia Superiori (Karnburg) Bertius l. c. 63 (57.)
3. Carrhodunum 49° 30' Long 48°. 40. Lat (supra Tyram flu. penes Daciam) Bertius. p. 83. (74). Hoc oppidum Cluverius Leopolim esse censuit, sed si supra Tyram (Dniester) idem valet ac ad Tyram, versus Daciam in dextra Tyræ ripa quærendum erit hoc oppidum fere inter Zaleszczyki et Czernelice in dextra Danastris ripa.

At apud Crusium est Carrhodunum in Pannonia superiori l. c. 98. Czakotorn in Styriani fallimur per errorem typographi, oppidum ad fines Styriæ in Ungaria situm, Carrhodu, num Bastarnarum Czaykowice in Galicia. Jbidem p. 99. laudantur quoque Cracovia Megalopolitani Ducatus oppidum, Cracovia (Krocke) pagus Anhaltinus, alius item non procul a Magdeburgo, alius in Misnensi Marchionatu. Addimus hoc loco Moravicos pagos et oppida Krakow, Krakowice, item Pomeranicum Krokow, unde Matthaeus de Cracovia, Krocow. Tandem et alia Polonica v. g. Krakuszowice pagum tribus miliaribus a Cracovia trans Vistulam in Galicia distantem, ubi etiam est tumulus Craci, quem alii dicunt Secundi sive Junioris, alii vero Senioris, esse sepulchrum. Sunt etiam qui negent verum ad Cracoviam Craci I. tumulum esse, at illum esse genuinum. Sunt quoque et Czechorum sive Bohemorum recentiorum fabulæ, quæ Crocum Bohemum Slavum nostram civitatem condidisse ferant, quibus occasionem dedisse videtur Pulkava sec. XIV. qui Cracoviam a Craco Croci fratre exstructam esse scripserit, alii id negant et Krakowiec arcem in Bohemia conditam Cosma duce autumant. Dobner ad Hagecium II. 77. Quis in re tam incerta aliquid certi proferre audebit, et recte Dobnerus omnibus omnes esse fabulas simillimas affirmavit. Quam ob rem nos quoque nec pro nostra sententia nimis contendere, nec eam unice veram esse volumus.



OR-

# ORDO THEOLOGORUM.



*Matthaeus* Kozłowski, *Ord. Praed. S. Theol. D. Hist. Eccl. P. P. O. h. t. Fac. Theologicae Decanus.*

Hor. mat. 10—11. quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam ecclesiasticam methodo Alberi.

*Florianus Kudrewicz, Ord. S. Basilii M. S. Theol. D. S. Script. Prof. P. O.*

Horis mat. a 9—10, exceptis diebus Jovis, quotidie, præmissis Historia Exegeseos, antiquitatibus et Philologia Sacra ad Novum testamentum spectantia tradet, Hermeneuticam generalem Novi Testamenti, tum specialem, demum ad explicationem Evangelii secundum Marcum accedet.

*Nicolaus Janowski, S. Theol. D. Moral. et Pastoral. et Eloquentiae Sacrae P. O. Can. Cath. Eccl. Crac.*

Horis pom. 1—2 iisdem diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, tradet Theologiam moralem ad mentem legis naturae at evangelicae. Idem præleget etiam Theologiam pastoralem, et praecepta eloquentiae sacrae docebit.

*Blasius Helbinowski S. Theol. D. Prof. Ord.*

A semihora octava ad semihoram nonam diebus consuetis tradet Dogmaticam.



# ORDO JURIS-CONSULTORUM.



*Felix Słotwiński, Phil. et J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jurid Decanus.*

Hor. pom. 3—4 quotidie, excepto die Saturni, Jus naturae universum, privatum, civitatis et gentium, necnon Methodologiam et Encyclopaediam Juris docebit.

Hor. mat. 8—9 diebus Lunae, Mercurii et Saturni, Jus ecclesiasticum tradet.

*Valentinus Litwiński, J. U. D. Prof. P. O.*

Hor. pom. 5—$6\frac{1}{2}$ quotidie exceptis diebus festis semestri hiemali, Codicem judiciarium civilem in Regno Poloniae vigentem explicabit et quae e Codice civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, simul exponet, semestri autem aestivo jus criminale juxta textum Codicis Criminalis Austriaci cum applicatione Codicis criminalis Polonici tradet.

*Adamus Krzyżanowski, J. U. D. Prof. P. O.*

Hor. $8\frac{1}{2}$ ad 10 quotidie, diebus festis exceptis, Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem

dicem Mercantilem, qui in Regno Poloniæ obtinet, cum applicatione legum, quæ apud Gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

*Augustinus Boduszyński J. U. D. P. P. O. Reipubl. Crac. Senator.*

Hor. pom. 5—$\frac{1}{2}$7 Historiam Juris Romani, Institutiones Justinianeas cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitae Prælectionis, tandem Jus Feudale tradet.

*Nicolaus Hoszowski J. U. D. Prof. P. O. Reipubl. Cracovien. Senator.*

Horis mat. $\frac{1}{2}$9—10 diebus Martis, Jovis et Veneris, 9—10 diebus Lunæ, Mercurii et Saturni disciplinas politicas tractabit, scilicet: primum Oecononiam Nationum puram, deinde Oeconomiam politicam et Doctrinam redituum s. Financiæ vulgo dictæ, nec non Politiæ, ac tandem theoriam Agriculturæ et Constitutionis Regni Poloniæ Liberæque Civitatis Cracoviensis.

# ORDO MEDICORUM.



*Sebastianus Girtler, Phil. et Med. D. Politiae medicae, historiae medicinae et institutionum medico-chirurgicarum P. P. O. h. t. Facultatis medicae Decanus.*

Hor. 11—$\frac{1}{2}$1. diebus Martis, Jovis et Saturni Politiam medicinalem ex propriis scriptis lingua Polonica tradet. Deinde ad prælegendum de Historia medicinae pariter ex propriis scriptis secundum ordinem variarum theoriarum et systematum cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Hisce diebus ab hora 5 ad 6. Medicinam forensem docebit, duce Plenckio et Metzgero ex propriis scriptis; finito vero hoc cursu artem Veterinariam compendiose ex propriis scriptis explicabit, mox secundum Pilgnerum, mox secundum Bojanum aliosque varios Auctores.

*Adalbertus Georgius Boduszyński, Med. D. Pathologiae et Therapiae tam gen. quam spec. P. P. O. Reip. Crac. Protomedicus.*

Hor. mat. 10—11 diebus Lunae, Mercurii et Veneris Lingua Latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Martis, Jovis et Saturni hor. mat. 10—11$\frac{1}{2}$ doctrinam de Therapia generali et speciali tradet.

*Ignatius Woźniakowski, Medicinae Doctor ab Augustissimo Caesare Austriae, Rege Apostolico, Honoris Numismate ornatus, vices gerens Decani Facultatis Medicae P. P. O.*

Diebus Lunæ Mercurii et Jovis ab hora 8. ad 9. idiomate latino materiam medicam, diebus iisdem ab h. 4. ad 5. idiomate Polonico Chirurgiam theoreticam, ac denique diebus Martis et Veneris eadem hora Artem obstetriciam theoreticam idiomate polonico tradet.

*Josephus Sawiczewski Med. D. Pharmaciae P. P. O.*

Diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 9 matutina ad 10. Pharmaciam docebit, qua finita, Toxicologiam explicabit.

*Josephus Kozłowski, Med. D. Anatomiae et Physiologiae P. P. O.*

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate Polonico diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris. Præterea tradet semestri hiemali pro opportunitate tempore vespertino per duas horas continuas Anatomiam practicam, semestri vero æstivo Physiologiam diebus Mercurii et Veneris post meridiem ab h. 4. ad 5.

*C. F. Soczyński Med. D. P. S.*

Horis mat 8—9 quotidie in Nosocomio Latine et Polonice explicabit morbos ægrotorum, qui in instituto clinico curantur.

Horis pom. 5—6 diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, artem veterinariam tradet.

*Xystus Lewkowicz, Med. et Chir. D. S. Annae IIItiae Classis et Legionis Honoris Eques, Chirurgiae Practicae P. P. O.*

Hor. pom. 3—4 diebus Martis, Jovis et Saturni in curationibus chirurgicis rite instituendis Auditores ad praxim formabit.

Horis matutinis 8—9 hiemali semestri, vernali et æstivo ab 7 ad 8 Clinicen chirurgicam duce Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque Boér et Widman quotidie exhibebit.

*Julianus Sawiczewski Med. D.*

Horis pom. 2—3 diebus Martis et Saturni tradet Macrobioticam.

---

# ORDO PHILOSOPHORUM.

---

## I) FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

*Romanus Markiewicz, Phil. D. P. P. O. Decanus h. t. Fac. Phil. Math. et Phys.*

Horis mat. 9—10 quotquot diebus, festis exceptis, Physicam experimentalem ad normam sui opusculi in usum Lyceorum editi, addens huic e tractatu physices Bioti addenda ampliora de expansibilibus et incoercibilibus tum de annulis coloratis, polarisatione fixa et mobili, sub finem vero anni doctrinam de Electromagnetismo e propriis schedis præleget. Quibus scientias physicas sibi proprias reddere propositum est, diebus Lunæ ac Saturni, hora 2—3 a meridie, demonstrationes difficiliores, ubi necesse fuerit, tum experientias longiusculas vel præcipuas, commodiori tempore, oculis subjici curabit.

*Felix Radwański, Phil. D. Mechanices et Hydraulices, Prof. emeritus, Reip. Crac. Senator.*

Diebus festis horis pom. 2—4 scientiam muniendarum viarum tradet.

*Aloisius Estreicher, Phil. et Med. D. P. P. O.*

Hor. mat. 10—11 quotidie exponet Zoologiam per semestre hiemale ducibus Cuvier, Ocken, Illiger, Lamarck et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor.

Hor. mat. 7—8 Botanicen tradet per semestre æstivum.

Hor. pom. 2—3 diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa per semestre hiemale.

Hor. pom. 6—8 exercitationes botanicas instituet, et ad botanices practicæ usum manu ducet, atque dendrologiæ rudimenta exponet per semestre æstivum.

*Carolus Hube, Phil. D. P. P. O. Matheseos sublimioris.*

Hor. mat. 8—9 quotidie exceptis diebus Saturni tradet Analysin finitorum, calculum analytico trigonometricum, trigonometriam sphæricam et geometriam analyticam, præcipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hor. mat. 9—10 diebus Martis, Mercurii et Veneris calculum differentialem et integralem, cum applicatione speciali ad Geometriam sublimiorem docebit.

*Josephus Łęski, Phil. Dr. Astronomiae Professor P. O.*

Hor. mat. ½9—10 semestri altero introductionem in disciplinas astronomicas repetet, quæ Polonice in lucem edita est, altero vero ducibus Delambre et Biot supplebit, quæ ad scientiam astronomicam præcipua sunt præceptorum capita. Tum duce Puissant disciplinam mappas topographicas delineandi compendiose explicabit.

*Josephus Markowski, Phil. et Med. D. Professor Chemiae P. O.*

Hor. 11—12 quotidie exceptis festis Chemiam docebit.

Hor. 9—11 diebus Solis Mineralogiam.

*Franciscus Sapalski, Phil. D. Professor Geometriae descriptivae P. O.*

Horis 12—1½ Geometriam dxscriptivam tradet theoreticam et accommodatam perspectivæ umbrarum, artibus fabrilibus et gnomonicæ, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis.

Hor. 12—1 diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre æstivum.

Hor. pom. 2—3 diebus Solis tradet opificibus et artificibus Architecturam et Mechanicam practicam.

*Franciscus Szopowicz, Prof. P. O.*

Hor. mat. 8—9 quotidie, exceptis diebus Saturni, Mathesin inferiorem i. e. Arithmeticam, Algebram, Geometriam elementarem cum practica et analytica explicabit duce Lacroix.

---

## II.) FACULTATIS LITERARIAE.

*Hermannus Schugt, Phil. D. Linguae Graecae P. P. D. h. t. Fac. Phil. Lit. Decanus*

Horis pom. 2—3 diebus Lunæ, Martis et Mercurii explicabit Horatii Odas.

Horis iisdem diebus, Jovis Veneris et Saturni Xenophontis Analysin.

Horis pom. 4—5 Styli cultioris linguæ Græcæ præcepta profectioribus tradet. Semestri æstivo enarrabit historiam Literarum Romanarum.

*Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiae P. P. O. Senator Reip. Crac.*

Hor. pom. 5—6 quotidie, diebus Ven. et Sat. etiam a 7. ad 8. pom. enarrabit historiam antiquiorem et recentiorem. II.) Geographiam physicam et politicam.

liticam. III.) docebit artem criticam, quæ ad legendos historicos est neces saria. IV.) literarum et scientiarum progressum demonstrabit.

*Georgius Samuel Bandtkie, Phil. D. Professor Bibliographiae P. O. et Bibliothecarius.*

Hor. pom. ½2—3 die Mercurii, Veneris et Saturni Bibliographiam profitebitur. Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis Latine scribendi præcepta Lipsiæ 1802.) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris hor. 7½—9.

Idem semestri æstivo horis definiendis, comparationem dialectorum Slavicarum e supellectile sua qualicunque literaria Slavica juvenibus vernacularum linguarum philomathibus ostendere conabitur.

*Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae P. P. O. Senator Reip. Crac.*

Hor. mat. 10—11 traditis præceptis eloquentiæ et poëseos, per classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguæ Patriæ in utroque orationis genere ducet.

*Guilhelmus Münnich, Phil. D. Prof. Linguarum Orientalium P. O.*

Linguam latinam una cum linguis Orientalibus docebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris hor. 12—1½. Diebus Martis, Jovis et Saturni hor. 11—12².

Idem semestri æstivo Antiquitates Romanas explicabit.

*Josephus Jankowski, J. U. et Phil. D. P. P. O.*

Hor. pom. 3—4 docebit Philosophiam theoreticam et practicam diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, Exercitationes vero pædagogicas instituet die Lunæ h. 3—4. Diebus Martis et Saturni mane hor. 7—8 Historiam Philosophiæ.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4 hyemali, hor. 3—5 æstivo semestri, diebus Lunæ, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, Speculam Astronomicam et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora præfinita est, dummodo tempus prælectionibus sacrum Bibliothecario et Præfectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Hortor. Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti, curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10 matutina, finita prælectione.

Docebunt artem pictoriam *Josephus Peszke* Prof. P. O. et *Josephus Brodowski* Prof. P. O. semestri brumali horis mat. 10—12 semestri æstivo 8—12. Linguam Anglicam tradet *Hermannus Schugt* hor. 3—4, Germanicam *Ludovicus Teichmann* horis pom. 4—5, Italicam *Stephanus Laberi* quotidie hor. pom. 5—6 *Augustus Ledru* Linguam Gallicam docebit hora pom. 2—3. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris. Iisdem diebus h. p. 4—5. *Alexander Sołowiewicz* Linguam Rossicam. Artem saltandi quater per hebdomadem *Petrus Couder* hor. pom. 4—5. Artem equitandi *Theodorus Coghen* hor. pom. 2—3.